

## § 152.

## DE DISSOLUTIONE OB POSTERIORA SPONSALIA INITA.

Quinta est, si quis primis sponsalibus validis et adhuc integris non quidem matrimonium, sed secunda sponsalia inverit, ex certa et communi Doctorum sententia posteriora sponsalia irrita et nulla sunt, nec ullum ex eis publicae honestatis impedimentum oritur. Neque etiam secunda sponsalia si juramento firmata sint, officiunt prioribus; siquidem posterior promissio, cum sit illicita, praejudicium alterius, et adversus legem primae desponsationis facta nullam vim ex juramento mutuatur, quia juramentum esse nequit vinculum iniquitatis. Nec demum posteriora sponsalia valent etiamsi secunda foemina priorum sponsalium ignara decepta sit, et violata sub spe conjugii, quoniam injuria illata posteriori foeminae non aufert jus suum priori: hanc tamen charitate et aequitate quadam juri suo renuntiare debere opinantur passim Canonistae, quando ipsa leviter laederetur, contra autem deflorata grave damnum magnamque honoris jacturam pateretur. In locis autem ubi nondum Tridentinum publicatum est, secunda sponsalia vincunt, quia ob copulam, si maritali affectu habita sit, transeunt in matrimonium.

## § 153.

## DE DISSOLUTIONE SPONSALIUM OB PROFESSIONEM RELIGIOSAM.

Sexta causa dissolvendi sponsalia est professio religiosa, tum quia ex juris dispositione spondens censemper alteri se obligare hac tacita lege « nisi Deus me ad religiosum vitae statum elegerit, » tum quod solemnis votorum nuncupatio matrimonium ratum dirimit; quo magis ergo per solemnem professionem sponsalia dissolventur? An vero per solum reli-

## § CLIV. DE DISSOLUT. OB IMPED. DIRIMENS. 323

gionis ingressum sponsalia solvantur, discordes sententiae sunt. At rectius sentire videntur qui putant, remanentem in saeculo solvi quidem obligatione in se suscepta, tum quia Religionem ingressus satis declarat se sponsalia renuntiare, tum quia ex parte ipsius notabilis fit mutatio, et in sacculo manenti grave nimis foret totum probationis tempus non sine incontinentiae periculo exspectare, et alias interim connubii occasionses negligere aut dimittere; quin etiam probrosum esset descendenter a religione in maritum, vel in uxorem recipere. Contra autem sentiunt non ex integro liberari alteram partem, ideoque e religione egredientem ad sponsalia obligari, cum ex jure positivo ea obligatio extinguitur per solam professionem, tanquam per mortem spiritualem: religio enim est quaedam mors spiritualis, qua aliquis saeculo moriens vivit Deo. Nemo autem « intelligitur mortuus saeculo per religionis ingressum, quoisque professionem emiserit, » ait S. Thomas in suppl. 3 p. quaest. 61 a. 3 ad 2. Ea autem conditio « nisi me Deus ad religiosum statum elegerit » ad eum religiosae vitae statum pertinet qui perpetuus sit, qualis non est certe quidem ingressus in religionem, et assumptio religiosae vestis, quae postera die dimitti potest.

## § 154.

## DE DISSOLUTIONE OB IMPEDIMENTUM DIRIMENS.

Septima causa solvendi sponsalia est, si impedimentum dirimens, ex. gr. affinitatis, Ordinis sacri sponsalibus initis, superveniat vel detegatur. Tunc enim matrimonium evadit impossibile; impossibilium vero nulla est obligatio. Consulto autem susceptio Ordinis sacri, quae sponsalia sequatur, hoc loco recensita est, quia secundum sententiam probabiliorem Ordo sacer sponsalibus superveniens, non ea dirimit ex dispositione juris, sed ratione impedimenti quo ordinatus fit perpet-

tuo inhabilis matrimonio contrahendo. Nam ex juris dispositione sponsalibus inest tacita conditio : « nisi religiosum statum elegero. » At nullo jure probatur sponsalibus etiam inesse hanc conditionem : « nisi Ordinem sacrum suscepero. » Ex quo recte infertur, sponsum qui invita sponsa sacro Ordine initiatus est, dum non rite a sponsalium obligatione se expeditat, seque implendae obligationi inhabilem perpetuo reddat, omnino teneri ad expensas et damna praestanda, si qua ratione et spe matrimonii sponsa sustinuit. Non autem per susceptionem Ordinum minorum sponsalia dissolvuntur prius contracta, quia minores Ordines se impediunt quidem, quominus matrimonium licite iniri possit. At vero si quis, sponsalibus initis, votum simplex emittat servandae in saeculo castitatis, aut sacri Ordinis suscipiendi, tunc non utrinque sponsalia solvi plures Canonistae docent. Nam ex eorum sententia vovens tacite renuntiat juri suo, aut saltem ob fidem violatam praebet alteri parti justam resiliendi a sponsalibus si velit. Sed ipse vovens a sponsalium obligatione non eximitur, quia non potest mutare sententiam in praejudicium alterius partis, nec videtur Deus acceptare promissionem rei quae alteri ex justitia debetur. Obstringitur tamen ipsius voti religione in sui praejudicium, hoc est si sponsa fidem datam remittat, aut mortem obierit, aut ex alia legitima causa sponsalia solvantur, vovens tenetur servare castitatem. Confirmant sententiam decreto Alexandri III in cap. 5 Qui CLERICI VEL VOVENTES, ubi foeminae quae post inita sponsalia continentiae votum emiserat, injungitur poena de fide mentita; ex quo perspicuum est, non obstante voto obligationem sponsalium perstitisse, et votum illicitum emissum esse, namque aliter mulier de fide mentita non puniretur. At S. Thomas, supp. q. 53 a 1 ad. 1, docet per votum simplex sponsalia dirimenda, propterea quod ubi duae concurrunt obligationes, potior est praferenda.

## § 155

## DE DISSOLUTIONE OB FORNICATIONEM.

Octava causa solvendi sponsalia etiam jurata est subsequens alterutrius fornicatio. Discrimen hic fieri solet ab aliquibus an sponsus lapsus sit in fornicationem, an sponsa, cum potent libido foeminae turpiorem esse quam viri. Verum haec non videtur justa causa, cur ad imparia judicentur, nec honesta mulier in eum casum se obligasse censenda est, ut cum viro de fide conjugii servanda graviter suspecto matrimonium inire teneatur. Solvuntur autem sponsalia intuitu solius innocentis, quippe reo malitia sua patrocinari non debet. Quod si propter fornicationem corporis sponsalia dissolvuntur, dubitandum non est, quin propter fornicationem spiritualem, haeresim scilicet, apostasiam, et schisma dissolvi possint.

## § 156

## DE DISSOLUTIONE OB MUTATIONEM ANIMI, CORPORIS, VEL FORTUNARUM.

Nona causa est mutatio animi, corporis vel fortunarum, veluti si sponsus aut sponsa comitali morbo, lepra, paralyse, aut alia gravi et incurabili infirmitate corripiantur, si notabili deformitate, veluti si utriusque vel unius oculi jactura multentur, si latrociniis, ebrietatis, rixis, et similibus vitiis se dederint, aut demum si ex parte bonorum fortunae ad interitum properaverint. Omnibus nempe pactionibus natura sua inest conditio « rebus ita stantibus ; » multo magis id valere debet in sponsalibus quae mutuo amore sustinentur. Non solum autem mutatio notabilis eveniens et non praescita, sed omnes quoque circumstantiae antea incognitae, quae matrimonium reddant difficultius multoque molestius, quaeque prius

cognitae ejus conditionis homines ab ineundis sponsalibus retraxissent, quanquam ipsa sponsalia praecesserint, causam tamen justam exhibit a sponsalibus recedendi quum primum innotuerint. In causa autem particulari quaenam mutatio superveniens aut circumstantiae delectae sponsalia dissolvant, legitimus Judex pronuntiabit.

« Notandum tamen, » ait Van-Espen Jur. Eccles. univers. part. 2 tit. 12 cap. 2. « non sufficere ad solutionem sponsalium, quod superveniat aut detegatur talis circumstantia, quae si praescita fuisset, sponsalia non inita fuissent, quia certum est multa posse sufficere, ut contractus nondum initus iniri non deberet, nec iniri conveniret, quae nullatenus tamen sufficient ut contractum dissolvant, eo quod contractu nondum inito plena sit libertas non contrahendi; quae libertas non subest postquam contractus fuit perfectus. Itaque ut judicetur, an ob supervenientem aut detectam aliquam circumstantiam sponsalia censeantur esse soluta, ipsique sponsi, aut alteruter eorum ab obligatione soluti, expendendum, an tales personae secundum prudens judicium talibus verbis, et in talibus circumstantiis consensum antea datum censeantur extendisse ad casum quo talia supervenient. Si censeantur ad ejusmodi casum extendisse, sponsalia non solvuntur; si non censeantur extendisse, dicendum est quod solvantur. »

### § 157.

#### DE DISSOLUTIONE PER DISPENSATIONEM.

Denique solvuntur sponsalia per dispensationem, quae tamen a solo Pontifice Romano conceditur. Sponsalia enim sunt jus tertio quae situm, quod nullus praeter Supremum Principem auferre potest. Haec autem potestas explicatur a Pontifice ob causas duntaxat justas atque graves; quin si sponsalia juramento munita fuerint, gravissimae causae quae bonum publicum respiciant, ad dispensandum postulantur.

### § 158

#### DE AUCTORITATE JUDICIS IN SPONSALIUM DISSOLUTIONE.

Unum superest inquirendum, an scilicet ad solvenda sponsalia ob causas expositas sententia et auctoritas Judicis necessaria sit. « Generaliter dici potest, » ait Navarrus Manual. cap. 2 n. 58, « quod in nullo casu in quo causa solvendi sponsalia est manifesta tam quoad veritatem, quam quoad iustitiam, praedicta Ecclesiae auctoritas non requiritur, quia talia ab ipso jure dissolvuntur. » Ab hac regula generali Doctores, qui sentiunt cum Navarro, excipiunt casum quo prudenter timeatur, ne dissolutio privata auctoritate facta scandalis occasionem datura sit, itemque si Dioecesum consuetudo ea sit, ut dissolutio sponsalium ante causam ab Ordinario cognitam et probatam non permittatur. Contra S. Thomas in 4 sentent. dist. 27 q. 1 a. 3 haec tradit: « In duobus casibus, scilicet cum quis ad Religionem configit, et cum alter conjugum cum altero per verba de praesenti contrahit, ipso jure sponsalia dirimuntur, sed in aliis casibus dirimi debent secundum judicium Ecclesiae. » Huic sententiae videntur favere Canones. In cap. DE ILLIS 7 de Desponsat. impub. cautum est, « ut impuberes qui adveniente pubertate reclamant, judicio Ecclesiae separantur, nisi, ut ait Glossa ibid., fortius vinculum superveniat, puta matrimonium cum alio, vel votum soleme, quia tunc ipso jure soluta sunt: » itemque in cap. DUO PUERI 12 eod. poenitentia quidam imponitur, qui, judicio Ecclesiae non requisito, a sponsalibus recessit. Idem confirmari etiam potest argumento ducto a paritate cum matrimonio; quamvis enim in matrimonio causa recedendi seu divertendi liquida sit, recessus tamen seu divertium privata auctoritate non permititur. Verum his non obstantibus prior sententia magis arridet: habent enim sponsalia conditionem inditam,

si res in eodem statu permaneant, seu quod idem est, nisi justa et a jure probata causa non accedat. Itaque ejusmodi interveniente causa, et conditione illa deficiente, sponsalium obligatio evanescit. Causam autem notoriam jure certam et expressam esse oportet; ubi enim de veritate vel sufficientia causae dubium sit, propria privata auctoritate non licet sponsalia solvere, cum uterque sponsus vi contractus sponsalitii sit in possessione juris acquisiti, ut promissio impleatur; in dubio autem nemini fas est propria et privata auctoritate alterum de possessione sui juris disturbare, sed Judicis auctoritas postulatur. Ad canones qui contra proferuntur, respondet Sanchez lib. 1 disp. 59 n. 41: « Canon DUO PUERI loquitur de matrimonio de praesenti, a quo alter conjux recesserat absque causa, ut clare constat ex textu. Ad canonem DE ILLIS dico, nolle textum esse necessarium Ecclesiae judicium, sed tantum jubere, ut Ecclesiasticus Judex, si coram ipso impubes adepta pubertate reclamaverit, eum separet. » Comparatio autem sponsalium cum matrimonio nihil facit ad hanc rem, quia matrimonium natura sua perpetuum et indissolubile est. Quamobrem expedire non videbatur, ut in potestate contrahentium esset arctissimum illud vinculum proprio morte abrumpere; majus etiam in matrimonio periculum est abusum et scandalorum.

## § 159

## DE BANNIS SEU DENUNTIATIONIBUS MATRIMONII.

Sponsalia sequuntur proclamationes seu denuntiationes, quae propriorem matrimonio viam parant. Denuntiationum originem in Ecclesia antiquissimam esse, nemo dubitat; quin ipsarum vestigia nonnulli sibi visi sunt invenisse apud Tertullianum de Pudicitia cap. 4. Concilium Lateranense IV denuntiationes matrimonio praeire omnino jussit, ejusque decretum

## § CLIX. DE BANNIS SEU DENUNT. MATRIMONII. 329

refertur in cap. final. de Clandest. Desponsat., cuius haec verba sunt: « Specialem quorundam locorum consuetudinem ad alia generatim prorogando statuimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesia per Presbyteros proponantur competenti termino praefinito, ut intra illud qui valuerint et voluerint, legitimum impedimentum opponant. » At disertius Trid. Synodus sess. 24 de reform. Matr. cap. 1 sancivit: « ut in posterum antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter missarum solemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum. » Cum finis denuntiationum sit, ut impedimenta occulta detegantur, et invalida matrimonia multaque peccata praepediantur, dubium non est quin fideles omnes ad impedimenta detegenda, si quorum consciis sint, licet judicialiter forte probare nequeant, obstringantur. Cujus quidem officii populus graviter admonendus est, « ne alioquin ex silentio et occultatione reus reddatur omnium malorum, quae ex matrimonio cum impedimento, praesertim dirimente, contracto nata sunt oriri, » ut recte inquit Van-Espen Jur. Eccl. univ. p. 2 t. XII, c. 3.

Porro ex eodem denuntiationum fine satis intelligimus, cur ex decreto Tridentini fieri debeant: 1. ante matrimonium contrahendum; 2. a proprio utriusque contrahentis Parocho; 3. coram populo frequenti inter Missarum solemnia; 4. tribus continuis diebus festivis; 5 denique denuntiatis nominibus personarum, inter quas matrimonium ineundum est. Denuntiationibus temere neglectis valet quidem matrimonium, attamen hoc modo contrahentes poena afficiendi sunt, prolesque interim suscepta, si matrimonium reipsa nullum sit, illegitima censetur, ex parentum bona fide aut ignorantia nullum subsidium habitura, ut loquitur caput 3 de clandest. Desponsat. Parochus etiam liber his matrimonii assistens ad triennium suspensi jubetur, gravius puniendus, si culpae qualitas postulaverit, cit. cap. 3. Itemque si sponsus et sponsa

diversas Paroecias incolant, neuter Parochus assistere nuptiis debet, nisi habita alterius Parochi attestatione de tribus proclamationibus in sua Paroecia rite factis, et quod nullum inde impedimentum detectum fuerit. Si quod impedimentum deferatur, Parochi est matrimonium interdicere, quanquam vel falsum, vel dubium, vel malitiosum ei videri possit; cognitio enim ad Episcopum omnino spectat cui res tota significanda est. Praeterea, nullo etiam detecto impedimento, si matrimonium post tertiam denuntiationem diu multumque differatur, quo tempore nova impedimenta oriri possint, denuntiationes iterandae sunt. Quapropter Congregatio Concilii, teste Rebello, declaravit, si peractis denuntiationibus intra quatuor menses sponsi non contraxerint, denuntiationes iterum facientes esse, quod tamen quadrimestre Episcopi in Synodo Dioecesana aliquando decurant. Caeterum cum expedit interdum celebrare matrimonium denuntiationibus omissis, ideo Concilium Tridentinum cit. cap. 4 constituit: « Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiose impedi posse, si trinae praecesserint denuntiationes, tumque vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem Parocho, et duobus vel tribus testibus praesentibus matrimonium celebretur, ac deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut predictae denuntiationes remittantur, quod illius prudentiae atque judicio Sancta Synodus relinquit. » Itaque Ordinarius ea uti facultate potest, non temere tamen et sine justa causa, cum illud negotii non ejus liberae voluntati, sed judicio et prudentiae committatur. Justae autem dispensandi causae numerantur: 1. probabilis timor de matrimonio malitiose impediendo. 2. Scandalum publicum, seu infamia, veluti si concubinarii, qui pro legitimis conjugibus habentur, contrahant, aut si casus occurrat revalidandi matrimonii, quod antea in faciem Ecclesiae contractum erat. 3. Qualitas personae, uti si

Reges aliique Proceres nuptias ineant, quorum matrimonia nunquam denuntiari solent, quia sunt valde nota antequam concludantur, unde periculum occultationis impedimentorum cessare videtur. 4. Urgens necessitas aut quaecumque causa boni communis, vel etiam notabilis contrahentium commoditas sive spiritualis, sive temporalis, aut etiam notabile incommodum quod aliter vitari non possit.

« Quod si vir et mulier conjungendi sint diversarum Dioecesum, » ait Bossius de Matrim. cap. 7 § 15, « non esse opus dispensatione utriusque Ordinarii, sed Ordinarium Praelatum alterius contrahentis posse cum utroque in denuntiationibus dispensare, sicut alteruter Praelatus Ordinarius potest legitimate assistere matrimonio, docent Sanchez lib. 3 disp. 7 n. 7, Gutierrez, Aegidius Coninch, et Hurtadus ob eam rationem, quia hac in re contrahentes seu conjuges censemur una persona, et ratione connexionis uterque alterius Praelato censemur subjectus, sicut censemur subjectus ut coram Praelato alterius contrahat. » Et quamvis Pontius de Matrim. lib. 5 cap. 34 n. 9 dicat se de hoc dubitare, quia saepe, inquit, potest contingere ut impedimentum quod in una Dioecesi non est, sit notum in alia, et ita ex dispensatione denuntiationum in una Dioecesi non sequitur per connexionem et colligacionem aliqua dispensatio in alia: in quo est valde diversa ratio de Matrimonio et denuntiationibus, nam in matrimonio, cum sit necessario vinculum duorum, necessario etiam fit, ut qui unum conjungere potest, possit et alium; in denuntiationibus autem non est ita necessaria colligatio et consequentia, ut ex se constat. Quamvis, inquam, Pontius ita dubitet, nihilominus cum predictis Doctoribus est affirmandum: « quia etsi non est tanta connexio, sicut in ipso matrimonii contractu, est tamen connexio, et per dispensationem unius Praelati vere satis fit decreto Tridentini, quod solum requirit ut Ordinarius dispensem, et cum Ordinarius dispensans debeat informari an aliqua subsint impedimenta, eo ipso quo cum tali

diligentia dispensat cum uno, dispensatio absque periculo aliquis inconvenientis et periculi, ne ignota remaneant impedimenta potest ad alium extendi. » Confer ipsum Bossium et Doctores ab eo laudatos, cit. loco.

### CAPUT VIII: DE NATURA MATRIMONII.

#### § 160.

##### DE DEFINITIONE MATRIMONII.

Matrimonium in utroque Jure definitur : « maris et focinae conjunctio individuam vitae consuetudinem continens, » quam definitionem Theologi omnes amplexati sunt. « Matrimonium, » ait Catechismus Romanus, part. 2 cap. 8 n. 2, « ex communi Theologorum sententia definitur : viri et mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens. » Igitur matrimonium natura et origine sua contractus est, per quem masculus et foemina procreandae et educandae sobolis, ac mutui auxilii causa ad individuam vitae societatem indissolubili quodam nexus se obstringunt. Quamobrem natura et essentia matrimonii, si spectetur in sua causa efficiente sive *in suo fieri*, ut Scholastici loquuntur, sita est in ipso contractu seu consensu mutuo, quo vir et mulier ad eam vitae societatem se obligant, sibique jus transferunt ad actus matrimoniales, non autem in usu ipsius juris seu in carnali conjunctione; qua de re Julianus Pelagianus turpiter erravit, a S. Augustino correptus his verbis : « nihil aliud esse dicis nuptias, quam corporum commixtionem. » Nam matrimonium, ut ait S. Chrysostomus Hom. 32 in Matth., non facit coitus, sed

voluntas : » et S. Ambrosius, lib. de Institut. Virginum cap. 6 refellens opinionem eorum qui inter B. Virginem et S. Josephum ideo putant verum matrimonium non exstisset, quod nunquam coiverint, sic graviter pronuntiat : « Cum initiatur conjugium, tunc conjugii nomen adsciscitur ; non enim deflorat virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. » Hinc utroque Jure recepta est regula : *nuptias non concubitus, sed consensus facit.* L. 30 ff. de R. J. can. 5 caus. XXVII q. 2. At vero internus consensus et pactio externa, quibus matrimonium efficitur, sunt actus transeentes et momentanei : ipsorum tamen effectus seu vinculum quod eo contractu inducit, perpetuo manet, donec conjugum uterque vitam vixerit. Quare natura et essentia matrimonii posteriori modo spectata, sive *in facto esse*, ut aiunt, in eodem vinculo, obligatione seu nexus quo mutuo coniuges obstringuntur, collocanda est.

#### § 161.

##### DE MATRIMONIO QUATENUS SACRAMENTUM.

Matrimonium autem apud Christianos est etiam verum proprieque dictum novae legis sacramentum, quemadmodum Catholica Ecclesia semper docuit. Sed praestat inter caeteras Ecclesiae definitiones in medium proferre Canonem I Trid. Synodi in sess. 24 latum his verbis : « Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicae Sacramentis a Christo institutum, neque gratiam conferre, anathema sit. » Ex quo Canone perspicuum est, non benedictionem Sacerdotis, nec quidquam aliud esse Sacramentum quod contractui accedit eumque sanctificet, sed ipsum matrimonialem contractum vere et proprie Sacramentum esse. Namque Concilium definit matrimonium esse Sacramentum; nomine autem matrimonii nihil intelligi aliud potest, quam verus et unus matrimonialis contractus, nisi velis inepto dicere, matrimonii nomine ipsum